



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae  
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1758**

Reverendissimo Et Celsissimo Sac. Rom. Imp. Principi Ac Episcopo  
Eustettensi Raymundo Antonio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

REVERENDISSIMO

ET

CELSISSIMO

SAC. ROM. IMP.

PRINCIPI

AC

EPISCOPO  
EUSTETTENSI

RAYMUNDO  
ANTONIO

FRANCISCUS XAVERIUS ZECH, SOC. JESU.

FELICITATEM.



Multa me per nonnullos annos  
a prosequendo opere Institu-  
tionum Canonicarum  
deterruerunt. Novos stimulos addidit  
singularis TUA , VIGILANTISSIME  
PRÆSUL , Solicitudo , qua mox post  
consensum Thronum Episcopalem ,  
publico Decreto constituisti , non alios  
ad Clericatus Honorem per Dioce-  
sin TUAM admittendos esse , nisi qui  
Sanctitatem Morum , & Scientiam sub-  
limi hoc Statu dignam , hoc est TUAM ,  
æmularentur. Cum enim multos ex iis ,  
qui vel Sacræ TUÆ Jurisdictioni jam sub-  
jecti sunt , vel subiici per Sacros Ordines uni-  
ce optant , Auditores Prælectionum mea-  
rum quotidie numerem , nihil mihi potius  
incumbere credebam , quam ut specimen  
quod-

quoddam Doctrinæ, qua hos Clericos, aut Clericalium Ordinum Candidatos imbuc-  
re conor, Venerando Judicio TUO, SA-  
PIENTISSIME PRINCEPS, submitte-  
rem. Non solum Episcopalis Solicitudo, sed  
etiam Amplissimum CANCELLARII  
Munus, quod in hujate Catholica Bojo-  
rum Universitate, post quindecim Præ-  
decessores TUOS Sextus Decimus Cle-  
mentissime gerere dignaris, TIBI curam  
imponit sanæ Doctrinæ sinceritatem tuen-  
di & promovendi, eo certiore effectu,  
quo sublimius Autoritati Summi Mune-  
ris in TE accedit omnigenæ Scientiæ Cul-  
men, & Sanctioris Vitæ illibatus splendor.  
Si hac gravissima Autoritate præsens Li-  
bellus muniri mereatur, meam in traden-  
da, TUORUM autem Clericorum in per-  
cipienda Doctrina Canonica Alacritatem  
vehementer animabis.

Quod autem moles hujus Tractatus  
ultra metas, quas præcedentibus opuscu-  
lis præfixeram, excreverit, & nihilominus  
*Jura Rerum Ecclesiasticarum* non penitus in-

tra illius terminos coērceantur ; imputandum unice est sincero studio , quo labores meos Sanctissimis TUIS Votis conformare adlaboro . Ipsæ enim , quæ tractantur materiæ occasionem præbebant attingendi plura Theologiæ Moralis Placita , & Historiæ Ecclesiasticæ Documenta : in utraque hac Disciplina , præter Sacrorum Canonum Peritiam , plenissime instructos cupis TUÆ Dioecesis Clericos , PASTOR OPTIME : unde etiam utriusque lineamenta non pauca Doctrinæ Canonicae admiscui . Ne tamen eos , qui Juri Pontificio se primum tradunt , rerum multitudine obruerem , pleraque uti & selectiorum Autorum nomina , in Notas subjectas conjeci , quas primis studiorum suorum mensibus negligere possunt , donec generalibus imbuti principiis ad pleniores notitiam hauriendam se excitari sentiant ; excitabuntur autem , cum non alia potius ratione se TIBI probandos sciant . Nihilominus his omnibus studiose perlectis , non obtinuisse necessariam do-  
ctri-

etinam , sed pro Instituto horum libello-  
rum se solummodo admonitos censebunt  
de iis , quæ vel ex allegatis Autoribus , vel  
viva Doctoris voce penitus penetrare  
studeant.

En PRINCEPS ERUDITISSIME !  
Oculis TUIS subjicio Oeconomiam dua-  
rum , quas Libellus iste complectitur , Se-  
ctionum : si Methodum in illis observa-  
tam TIBI non displicere video , impera-  
tum mihi censebo , ut residuas geminas  
Sectiones absque mora longiore TIBI  
fistam.

Ut hos meos Conatus Clementissimo  
TUO Favore sustentes , Sacram Benedi-  
ctionem imploro , Manumque nuperrime  
Consecratam demississimo osculo Vene-  
ror.

Dabam Ingolstadii VI. Julii Pridie S. WI-  
LIBALDI primi Episcopi Eustettensis  
MDCCLVIII.